



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu**

**Estrix, Aegidius**

**Moguntiaë, 1679**

Propositio LI. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties ei subservit, deferendo scalam, apierendo januam, aut quid simile ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42472**

lam procedere considerando solummodò rationes naturales.

Citato Caramuele lectorem mittit ad Propositionem 35. ut nimirum, quæ ibi adnotaverat de probabilitate Propositionis, hic quoque adnotata intelligerentur. Censet ergo hanc quoque Propositionem ante Decretum Innocentii XI. fuisse probabilem.

## PROPOSITIO LI.

**F**Amulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties ei subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quilibet simile coöperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti; puta ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne Domo expellatur.

Autorem citat Gasparem Hurtado. Ubi autem?


Ipsè non prodit: sed citari ait à Diana. Ubi verò? Paginâ 435. Plus non habeo in chartis, quas accepi. Adivi ergo in gratiam hujus Accusatoris paginas omnes Tomorum Dianæ notatas illo numero: neque inventi citatum Gasparem Hurtado in ulla istarum paginarum. Sed neque liber Gasparis Hurtado est ad manum.

Si quid affine docuerit ille Autor, credibile



le est imitatum fuisse Martinum Navarrum  
 lib. 5. *consil. edit. 2. consil. 6. de poenit. Bonacina*  
*Tom 2. d. 2. de peccatis q. 4. p. 4. §.*  
*unico à n. 22. Item Tom. 1. d. 2. c. 4. coroll. 2.*  
*n. 278. aliosque plures, qui non sunt de eo-*  
*rum genere, quos persecuendos suscepit Ac-*  
*cusator. Ut verò statuas, an doctrinam tra-*  
*diderit Propositionis damnatæ, in primis vi-*  
*dendum, an sint contenti causis quibusdam*  
*levibus, & frivolis, ut illa famulo censeant*  
*licere. Valde graves plerique requirunt, qui*  
*Propositionis autores videri possent temerariis*  
*Accusatoribus.*

Fortasse haud videbitur procul abivisse à  
 sententia Navarri, Bonacinæ & aliorum Do-  
 ctorum ille, qui Lovanii die 6. Februarii 1648.  
 assertionem dedit his conceptam verbis: *Qui*  
*justam habet causam agendi aliquid, ex quo proxi-*  
*mus sumit occasionem peccandi, excusatur. Ex*  
*quo capite multa excusantur; ut remigatio, qua*  
*Christiani captivi remigant apud Turcas in grave*  
*detrimentum aliorum Christianorum; proponere*  
*cibum, & potum, quo hospites abutentur; sua-*  
*dere minus malum ad evitandum majus; comitari*  
*herum abeuntem ad fornicandum, & plura alia.*



PRO-